



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

4. Fluviorum utilitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

cornibus accensis furentes boves , super saltus ab hoste in sebos egit , latèque terrorem ac fugam spargendo , sibi viam effugiendi aperuit . Liv. lib. 22. Rectè tamen monet Florus lib. 1. c. 12. Eam vir sanctus & sapiens solet veram esse victoriam , quæ salvâ fide & integra dignitate parabitur . Nam contra pacta & foedera fraudem quis probet ? quis item vilem aliquam & abjectam ? ut si quis hostem veneno tollat , aut ciâm immisso , emptoque percusso ?

IV. (d) Achelous & alii fluvii tauris similes effinguntur , quoniam vel cum impetu irruptentes , tauris similem edant mugitum : vel quia circa ripas fluminum tauri mugire uberiora ob pascua audiantur . Achelous etiam draconis sive serpentis figuram assumpsit , quia & ipse , & amnes alii sinuoso deferuntur cursu . Acheloum temerè & cum impetu per Ætoliam ruentem , agrösque infestantem , Hercules aggeribus & aquæ ductibus coercuit & extenuavit , unde dictus est fluvio taurinum cornu defregisse ; vel juxta alios , Acheloum geminis alveis labentem , alterum eorum vertit aliò , & sic plurimos Ætolis asseruit agros , omni fructuum genere fertiles . Et quia magnæ commoditates hauriuntur è fluyis , præsertim navigabilibus , Cornucòpia , seu copiæ cornu , variorum Autumni fructuum ferax , felicitatis & abundantia Symbolum , ex Acheloi cornu exorta fingitur .

V. (e) Neque inane est , quod Nympharum una è Diana gynæco Herculem Victorem velut gratulabunda exceptit ,

----- totumque tulit prædivite cornu

Autumnū , & mensas , felicia poma , secundas .

It enim virtuti fortuna comes , & dulcis est fructus laborum . Hinc hieroglyphicum : Cornu copiæ , affulgente sole , utraque manu , velut in foedus porrecta , sustinetur . Inscriptio . Non deficit alter , id est , nec sol , nec terra deficit ad frugum copiam procreandam , quando nostræ manus non deficientiunctim sustinendo . Addunt Poëtae Herculem peracto certamine palmâque relata Acheloi Cornu Dejaniræ sponsa promunere nuptiali donasse ; quô ostenditur , sudore & fortiter faciendo famam , laudem , felicitatem , velut sponsam domum duci . De sponsis virtute obtentis alibi diximus . Cornu copiæ ex lucta reportatum indicat , Dulcem è bello nasci Pacem , cum Bonis adjunctis , de quibus Poëta Venusinus Epid. carm. sœc.

Jam Fides , & Pax : & Honos , Pudörque  
Priscus , & neglecta redire virtus

Audet : apparètque beata pleno

Copia Cornu .

(d) Fluviorum utilitas . (e) Copia cornu virtutis præmium .

M. Per-

